



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 3. Contentio inter Galliæ & Catellæ Reges.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

domitor audiret. Sed hoc anno 1276 de Sæcul. XIII.
 cessit, postquam annos tres ac sexaginta A. C. 1276.
 regnaverat a morte Petri II. patris sui
 anni 1213 in prælio Murellano cæsi. *Mariana*
 cobus tricies cum Mauris pugnavit nun- *l. 14. c. 2.*
 quam non victor. 88 Mille circiter templa *Sup. lib. 87.*
 condidisse dicitur: nempe quam plurima *§. 28.*
 delubra Deo consecranda curavit. Sed *Sup. Lib. 86.*
 nimium foeminarum amorem sæpius illi *§. 56.*
 exprobrarunt summi Pontifices. Gravi-
 ter ægrum se videns vestem Cisterciën-
 sem induit, in cœnobio Populetano, ubi
 humari voluit, reliquos vitæ dies acturus.
 At morbus id non admisit. Obiit Va-
 lentia 27 Julii, cum regnum Petro natu-
 majori filio, Baleares autem insulas sub
 titulo regni filio secundo tribuisset. Com-
 plures etiam filios naturales reliquit.

Septima Octobris eodem anno 1276
 Carolus Siciliae Rex Papæ Joanni addi- *Sup. l. 85.*
 cti clientis fidem ac obsequium pro re- *§. 35.*
 gno suo promisit iisdem conditionibus,
 quibus a Clemente IV. inauguratus fue-
 rat, ut scilicet servaretur ordo successio-
 nis, & corona Siciliae cum dignitate im-
 peratoria non jungeretur.

§. III.
Contentio inter Gallia & Castella
Reges.

Eodem tempore Papa comperit, Regem *Ragn. n. 47.*
 Franciæ Philippum statuisse de con-

Sæcul. XIII.
A.C. 1176

Id. 1277. n. 6.

Ibid. n. 3.

troverſia cum Alphonſo Caſtellæ Rege
habita armis decernere, quod illum im-
pediret a perſolvendo voto Palæſtinæ fe-
rendi ſuppeticas. Igitur Papa ei ſcripſit,
ut cum altero amice tranſigeret, & ad il-
lum miſit Joannem Vercellenſem Gene-
ralem Prædicatorum Magiſtrum, ac Hie-
ronymum Aſculanum Ordinis Minorum
Miniſtrum Generalem promoturos nego-
tium. Litteras dabat Viterbii 15 Octo-
bris: & his duobus Nunciis poteſtatem
fecit reſcindendi omnia pacta & obliga-
tiones paci obſtaculum forſitan poſituras,
& a juramentis, quibus eſſent firmatæ,
abſolvendi. Eodem fine ſcripſit ſuo in
Francia Legato Simoni Brieni Cardina-
li de S. Cæcilia, qui, cum eſſet Gallus, re-
gni proſperitatem ſingulari habebat cu-
ræ. Expoſuit ei, Concilium Lugdunen-
ſe ſacri belli cauſa generalem ſtatuiſſe pa-
cem inter omnes Principes Chriſtianos,
ac Præſulibus feciſſe copiam irrogandi
cenſuras iis, qui acquieſcere in illa nol-
lent. Idcirco volumus, addebat, ut Re-
gem Gallorum & cunctos ei adhærentes
ad abjiciendum conſilium belli contra
Caſtellæ Regem adigas, anathema in per-
ſonas, & interdictum in terras, ſi ex-
pedire cenſeas, contorquendo, inſuper
habita quavis immunitate a cenſuris.
Videmus hic inutilitatem hujusmodi
privilegiorum, quibus Papa, quoties
vole-

volebat, derogabat. Dedit 3 Martii an. Sæcul. XIII.
 1277. A. C. 1276.

Percipe modo causam belli contra Castiliam: Rex Alphonfus X duos habebat filios, Ferdinandum & Sanctium. Ferdinandus cognomine Delacardius natus major e sua conjuge Blanca S. Ludovici filia filios duos susceperat Alphonsum ac Ferdinandum, quos in ætate tenera reliquit an. 1275 moriens. Etsi Rex Alphonfus etiamnum viveret, Princeps Sanctius secundus filius ejus omnem sibi tribuens authoritatem, ordinum comitia Segoviam convocavit, ubi coronæ hæres nepotum suorum damno declaratus est. Quod ferendo impar horum avunculus, Rex Franciæ Philippus eorum jus sibi armis tuendum duxit.

*Mariana
lib. 14. c. 2.*

§. IV.

Universitatis Parisinæ dies festi.

Legatus Simon Briensis interea de festis diebus Universitatis Parisinæ præscriptum edidit, cujus hæc est summa: Ut audivimus, Academici his diebus loco pietatis charitatisque operum, quæ olim exercebant, vino se ingurgitant, epulis indulgent, choreas Clericis indignas ducunt, capiunt arma, & noctu turmatim per plateas eunt, clamorum insolentia tranquillitatem urbis turbantes

*Duboulaï
to. 3. p. 431.*